



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 16. De Bello & Duello.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

ARTICULUS XVI.

De Bello, & Duello.

§. I.

De Bello.

Quæres 1. Utrum bellum gerere, sit intrinsecè malum?

Resp. Bellum non est intrinsecè malum, sed potest esse licitum & honestum. Est de fide, & probatur ratione. Nam bellum vel defensivum est, vel aggressivum. At 1. bellum defensivum licitum esse potest: bellum enim defensivum dicitur, quo vis vi repellitur. Atqui vim vi repellere cum moderamine inculpate tutelæ, omnia jura permittunt. Ergo, &c. 2. Bellum aggressivum potest esse licitum & honestum: nam bellum aggressivum dicitur, quod inferitur ad hostes coercendos, & vindicandas injurias illatas. Atqui illatas Reipublicæ injurias, pro quibus justa satisfactio denegatur, vindicare licitum est & honestum: est enim necessarium ad rerum publicarum pacem & incolumitatem tuendam. Ergo, &c.

Quæres 2. Ad quem pertinet bellum indicere.

Resp. Bellum indicere pertinet ad supremos Principes, qui superiorem non habent in temporalibus, quales sunt Imperator Romanus, Reges qui non sunt imperio Romano subditi, & multi Duces. Ita docet S. Thomas 2. 2. quæst. 40. art. 1. in O. *Ad hoc, quod aliquod bellum sit justum, inquit, tria requiruntur. Primo quidem, auctoritas principis, cujus mandatum bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere: quia potest jus suum in iudicio superioris prosequi. Similiter autem convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Cum autem cura reipublice commissa sit principibus, ad eos pertinet rem publicam civitatis, vel regni, seu provincie sibi subdite tueri. Et sicut licite defendunt eam materiali gladio contra interiores quidem perturbatores... ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hominibus, hoc est, à rebuspublicis, vel principibus, qui in jus vocari non possunt apud superiorem; cum, ut supponitur, non habeant in temporalibus: unde ad satisfaciendum imparati, non nisi per bellum legitima auctoritate indictum compelli possunt.*

Porro quod hic dicitur de supremis principibus, quantum ad legitimam bellum indicendi potestatem, intelligi quoque debet de rebuspublicis perfectis; cum superiorem in temporalibus non habeant: secus verò de rebuspublicis imperfectis, & principibus, qui supremi non sunt: possunt enim jus suum prosequi in iudicio superioris, & idcirco non magis possunt bellum indicere, quam privati. Unde si tales bellum indicerent, etiam justa de causa, peccarent non solum contra charitatem, sed etiam justitiam; quia bellum indicere sine legitima auctoritate, est actus illegitimus; quare ad damnum omnium restitutionem tenerentur.

Quæres 3. Utrum bellum indicere & gerere Clericis liceat?

Resp. 1. Prælati Ecclesiastici supremam habens potestatem in temporalibus, licitè potest, & sine irregularitatis incurrendæ periculo, bellum indicere. Ratio est, quia sufficientem ad hoc habet auctoritatem, & hujus auctoritatis usus, nulla lege sive divina sive humana prohibitus est.

Resp. 2. Per se bellum gerere offensivum clericis illicitum est, non quidem jure divino, nullum enim tale jus extat, sive in scriptura, sive in traditione; sed jure Ecclesiastico, ut patet v. g. ex cap. Clericum, dist. 50. ubi dicitur: *Clericum qui paganum occiderit, non oportet ad gradum majorem promoveri, qui carere etiam debet acquisito: homicida enim est. Nam cum disorati sint milites sæculi à militibus Ecclesiæ; non*

convenit militibus Ecclesiæ militare sæculo, per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire.

Rationem autem congruam hoc prohibendi clericis exponit S. Thomas 2. 2. qu. 40. art. 2. in O. ubi sic ait: *Bellica exercitia maxime repugnant illis officiis, quibus episcopi & clerici deputantur, propter duo: primo quidem generali ratione: quia bellica exercitia maximas inquietudines habent. Unde multum impediunt animum à contemplatione divinorum, & laude Dei, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum. Et ideo sicut negotiationes, propter hoc quod nimis implicant animum, interdiciuntur clericis, ita & bellica exercitia... Secundo propter specialem rationem. Nam omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento representatur passio Christi... & ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere, quod gerunt ministerio.*

Hanc autem obligationem per se bellum non exequendi, quæ sanè gravis est, cum sit in materia gravissima, & sub gravissimis pœnis imponatur, manifestè extendit Sanct. Doctor non solum ad episcopos, presbyteros, & diaconos, sed etiam ad subdiaconos: cum etiam subdiaconi sint deputati ad ministerium altaris: unde altari ex officio deserviunt. Quin imò videtur S. Doctor extendere obligationem illam ad eos, qui in minoribus ordinibus existunt, quod intelligendum videtur de iis, qui postquam promoti fuerunt ad minores ordines, statui suo non renunciarunt: sunt enim ex officio ministri Ecclesiæ, præsertim si beneficium habeant Ecclesiasticum: postquam enim statui suo omnino renunciarunt, videntur omnino liberi ab obligatione de qua agitur.

Porro dixi, bellum offensivum: nam defensivum non minus licitum est clericis, quam laicis: unicuique enim jus naturale concedit, vim vi repellere cum moderamine inculpate tutelæ, & hoc nullum jus positivum prohibet clericis, qui proinde pugnare possunt pro vitæ propriæ & patriæ defensione, quando ad id extrema, vel saltem gravis urget necessitas. Bellicis verò offensivis ex auctoritate superiorum clerici possunt interesse, ut ait S. Thomas art. proxime citato ad 2. *Non quidem ut ipsi propria manu pugnent, sed ut iuste pugnantibus spiritualiter subveniant suis exhortationibus & absolutionibus, & aliis hujusmodi spiritualibus subventionibus... Et ad hoc primo fuit concessum, quod episcopi vel clerici ad bella procederent. Quod autem aliqui propria manu pugnent, abusionis est.*

Quæres 4. Quid ad hoc ut bellum offensivum seu aggressivum sit justum, requiratur præter legitimam illud indicendi auctoritatem?

Resp. Requiritur causa legitima & necessaria bellum indicendi. Hoc dicit S. Thomas hic art. 1. in O. *Secundo, inquit, requiritur causa justa, ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde August. dicit lib. 83. 99. super Josue qu. 10. Justa bella solent definiri, quæ ulciscuntur injurias, si gens vel civitas pleitenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est; vel reddere quod per injuriam ablatum est (aut retinetur.) Ad justitiam igitur belli aggressivi requiritur gravis aliqua injuria, vel quam princeps aut reipublica infert, & ab inferenda cessare; vel quam princeps aut reipublica intulit, & pro illata justam absque bello satisfactionem dare renuit; adedque requiritur gravis aliqua injuria, quæ alia ratione, quam bellum inferendo, tolli, vel vindicari, aut reparari non potest.*

Ratio est, quia si propter aliquam aliam causam licitum esset alios bello aggredi, putà propter ambitionem, cupiditatem, inanem gloriam, virium vel fortitudinis ostentationem, semper bellum esset ex utraque parte justum per se & absque ignorantia, quod est absurdum: duo enim contraria jura non possunt esse ambo justa. Item licitè possent homines, absque ulla

ulla sua, vel reipublicæ, ejus membrum sunt; culpa, fortunis, libertate & vita spoliari, quod tamen iniquissimum est. Item princeps quilibet armis invadendo ditionem alterius, quod licitè posset quoties auderet, jure belli suum faceret quicquid occuparet, atque ita unusquisque tandiu solum jus haberet ad res suas, quandiu eas retinere posset; quod profectò rapinis & cædibus portam aperiret, & in maximum generis humani damnum verteretur. Sed

Nota 1. Ad justitiam belli sufficere, quòd injuria fiat vel principi, vel subditis ejus; nam princeps rei publicæ & subditorum suorum custos est; vel etiam fœderatis & amicis, iisque omnibus, qui se protectioni principis commiserunt; nam princeps jus habet vindicandi illos, si ipsi jus habent ad vindictam, & auxilium ejus expressè vel tacitè implorant. 2. Fieri posse ut injuria secundum se levis, gravis reverà sit ratione consequentiarum, & damnum quæ ex impunitate probabiliter metuuntur; & ita fieri posse ut injuria secundum se levis, putà una excursio, unius oppidi occupatio, &c. sit causa sufficiens ad bellum justè inferendum, nisi justa satisfactio maturè offeratur, & acceptata exhibeatur.

Porro princeps cujus est bellum indicere, tenetur diligenter examinare causam belli indicendi; & si post diligens examen causæ, moralem habet de justitia illius certitudinem, ad quam sufficit verisimilitudo sensibilibus major, bellum potest indicere: quid enim ad hoc amplius requiras ex parte principis? Milites verò communes ad nullum tenentur examen, & vocati ad bellum, possunt & debent ire, nisi evidenter illis constet de belli injustitia. Quòd si circa hoc patiantur dubium aliquod etiam positivum, possunt & debent illud deponere, & velut scrupulum contemnere, atque formare conscientiam suam propter principis & ejus consilii auctoritatem, quæ ad hoc sufficientissima est.

Idem autem, quod de militibus communibus, dic de ducibus etiam primariis: eadem enim est ratio pro omnibus subditis, pro quibus, extra evidentiam injustitiæ belli ultrò sese offerentem, principis boni & ejus consilii auctoritas sufficientissimum est motivum moralis certitudinis de belli justitia. Supple tamen pro ducibus, nisi à principe vocentur ad consilium: tunc enim tenentur ad diligentem veritatis inquisitionem, ut per se liquet.

§. II.

De Duello.

Duellum, græcè Monomachia, dicitur duorum vel paucorum certamen, ex partium consensu initum: unde differt ab eo certamine, quod inter duos vel paucos initur ex improvviso & fortuito, saltem ex parte illius vel illorum, qui provocantur: unde aggressores censeri non possunt, & jus habent defendendi se cum moderamine inculpatae tutelæ, & aggressorem vel aggressores occidendi, si aliter vitæ suæ consulere non possint; neque lege ulla hoc eis prohibitum est: nam vim vi repellere cum moderamine, nulla lex prohibet, aut prohibere potest. At in duello uterque, provocans scilicet & acceptans, censetur & est aggressor; quod de provocante per se manifestum est, & de acceptante faciliè ostenditur: nullam enim vim paritur, sed voluntariè & ex condicito descendit ad pugnam: quare non purè defendere se, sed provocantem aggredi, jure merito censetur. His præsuppositis, queritur utrum & quando duellum sit malum & illicitum intrinsecè?

RESPONSIO I.

Duellum, si fiat auctoritate publica, & ex causa publica, non est intrinsecè malum, sed licitum & honestum esse potest.

Prob. Nam tale duellum habet veram rationem belli. Atqui bellum non est intrinsecè malum & illicitum,

sed potest esse licitum & honestum; cum reverà tale sit, si geratur ex auctoritate legitima, & justa causa. Ergo, &c.

Amplius. Bellum inter multos potest esse licitum ac honestum, & est, si prædictas condiciones habeat. Ergo etiam bellum inter paucos potest esse licitum ac honestum, & est, si easdem illas habeat condiciones: multitudinis enim differentia belli honestatem seu justitiam variare non potest. Atqui duellum, de quo agitur, est bellum inter paucos. Ergo, &c. Hinc

1. Ad terminandum vel etiam impediendum justum bellum, princeps licitè & honestè potest offerre vel acceptare duorum vel paucorum certamen, ut paucorum periculo lis dirimatur, & majora utriusque partis damna, cadesque plurimorum vitentur; modò tamen hac ratione causam suam in deteriori statu non ponat; quod faciet, si superior viribus victoriam penè certam committere cum duelli incertitudine: tunc enim contra charitatem & justitiam peccabit erga subditos. Nihilominus tamen relatè ad pugnantem, duellum licitum erit & honestum, quia fiet ex auctoritate & causa ad justum bellum sufficientibus, & ita justè belli condiciones habebit.

2. Tempore belli si quis ex hostili exercitu ex adverso stante insulter, & duellum offerat, potest licitè & honestè acceptari ex ducum consensu pro causa publica: nam si ex ducum consensu multi licitè & honestè possunt pro causa publica congregari cum multis hostium, quidni & pauci cum paucis? Præterea, qui in casu proposito ex ducum consensu duellum acceptat, acceptat illud auctoritate publica, & sic auctoritate publica aggreditur hostem, quem jus habet occidendi: supponitur enim justum esse bellum ex parte acceptantis? Denique duellum hoc rationem habet belli partialis, quod tam licitum & honestum esse potest, quam totale, quia tam potest justè belli condiciones habere. Cum autem se ipsa condiciones illas habeat in casu proposito ex parte acceptantis, ex parte acceptantis licitum & honestum esse manifestum est. Porro igitur David pro causa publica ex consensu Saulis licitè & honestè acceptare duellum oblatum à Goliatho.

RESPONSIO II.

Duellum quod fit auctoritate privata, ex quacunque causa fiat, est intrinsecè illicitum & inhonestum.

Prob. Quia in duello uterque, provocans scilicet & acceptans, est aggressor. Ergo in duello, quod fit auctoritate privata, uterque auctoritate sua privata alterum aggreditur ad eum occidendum. Atqui privata sua auctoritate alterum aggredi ad occidendum, intrinsecè malum est; cum intrinsecè malum sit, alium privata sua auctoritate occidere, extra calum necessariæ defensionis vitæ propriæ, quando scilicet vis infertur, nec repelli potest nisi occidendo eum qui vim infert. Ergo duellum, quod fit auctoritate privata, &c.

Duellum igitur, quod fit ex duorum vel plurium conventionione privata, graviter repugnat juri naturali, sed & graviter prohibetur. 1. Jure Civili l. unic. codice de Gladiatoribus. 2. Jure Ecclesiastico tum veteri tum novo: nam cap. *Felicitis* extra de torneamentis, quo qui singulare certamen ineunt ad virium & generosi animi ostensionem, & in eo moriuntur, etiam si absolvantur ante mortem, privantur sepultura ecclesiastica. Cap. *Monomachiam*, 2. qu. 5. & ex cap. *Cura* extra de purgatione vulgari, reprobatum duellum, quod fit ad manifestandam veritatem, vel ad purgandum se ab aliquo crimine. Trid. sess. 25. cap. 19. de reformatione, generatim proferuntur duella, ex privata conventionione facta, ex quacunque causa fiant: *Detestabilis*, inquit Synodus, duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano Orbe penitus exterminetur.

Ibidem Synodus ad deterrendos homines ab hujusmo-

iusmodi duellis, gravissimas infligit penas, quas ad privatim, seu sine patris, focive ad id vocatis duellantes extendit Gregorius XIII. in bulla anno 1582. edita. 1. Itaque Synodus in duello pugnantibus, & eorum, ut vocant, patris, penam excommunicationis, bonorum omnium proscriptionis, & perpetuæ infamiae ipso facto incurrendam imponit. 2. Si in ipso conflictu decesserint, eos perpetuo privat ecclesiastica sepultura. 3. Præcipit, ut juxta sacros canones puniantur, tanquam homicidæ. 4. Illos etiam, qui consilium dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaverint, necnon & spectatores, ex conducto scilicet, non verò casu tantum & fortuito, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo ipso facto obligat.

His omnibus adde Principum constitutiones, quibus, præsertim in Gallia, sub gravissimis penis, adeoque sub reatu gravis culpæ hujusmodi duella prohibent. Privatim igitur duellum facientes, graviter peccant contra jus divinum naturale, contra jus ecclesiasticum, & contra jus civile. Unde sic pugnando, exponunt se morali periculo non solum mortis temporalis, sed etiam mortis æternæ, quod crimen eorum maxime aggravat.

Dices. Provocatio ad duellum privatim potest esse licita & honesta, si nimirum fiat ad vindicandam gravem injuriam, quæ aliter reparari non potest. *Resp.* Hoc esse falsum: nam auctoritate privata vindicare injuriam acceptam, qualicumque sit illa injuria, est intrinsecè illicitum & inhonestum. Ergo privata sua auctoritate alterum aggredi ad vindicandam injuriam ab eo acceptam, qualicumque sit illa injuria, est intrinsecè illicitum & inhonestum. Sed qui provocat aliquem ad duellum privatim, ad vindicandam injuriam ab eo acceptam, vult privata sua auctoritate illum aggredi ad vindicandam, &c. & se ipsum in sua causa constituit judicem; quod iniquissimum, auctoritati publicæ injuriosum, & omni jure prohibitum est. Ergo, &c.

Provocatio igitur ad duellum privatim non potest esse medium licitè & honestè ordinabile ad ulciscendam injuriam acceptam, quantacunque supponatur hæc injuria; & cum supponitur injuriam talem esse, ut non possit aliter reparari quam per duellum, hoc perperam & pessimè supponitur: nulla enim esse potest, in qua per judicium superioris non possit sufficienter reparari honoris vel famæ læsio, nisi fortasse in insipienti mundanorum hominum æstimatione, cujus nulla ratio haberi, sed contemni debet.

Dices. Potest saltem duelli acceptatio aliquando esse licita & honesta, si nimirum duellum acceptetur ad vitandam infamiam, quam non poterit aliter vitare is, qui provocatur, nisi acceptet. *Resp.*

Hoc esse falsum. Nam 1. is qui provocatur, duellum recusando non potest incurrere veram infamiam: nulla enim vera infamia sequi potest ex eo, quod quis præligat obedire Deo, Ecclesiæ, & principi suo; sed econtrà inde sequitur magna laus & gloria apud probos & sapientes, in quorum existimatione vera fama consistit. Quod autem non acceptans duellum infametur velut ignavus apud improbos & insipientes, legumque divinarum & humanarum contemptores, quorum proinde æstimatio nullius momenti esse potest; hæc infamia non est nisi imaginaria infamia, adeoque nec potest esse mortuum licitè & honestè duellum acceptandi.

2. Dato quod is qui recusat duellum, contrahat veram aliquam infamiam recusando, quod tamen manifestè falsum est, adhuc non potest licitè acceptare duellum. Ratio est, quia, ut jam dictum est, in duello uterque, provocans & acceptans, est aggressor. Privata autem sua auctoritate alterum aggredi ad occidendum, vel cum periculo occidendi, intrinsecè malum est, ex quacunque causa fiat; cum alterum privata auctoritate occidere, licitum esse non possit, nisi in casu puræ & justæ defensionis. Is igitur qui ad duellum provocatur, non posset licitè illud acceptare, ad vitandam veram infamiam, si qua incurrenda esset recusando, quantum minus poterit, ad vitandam apparentem tantum & imaginariam: præsertim cum deesse non possint multi alii modi eam laudabiliter vitandi, in occasionibus, quæ non desunt, dando certa fortis animi indicia.

Quæres. Utrum excommunicatio, quam ipsos facti incurrunt in duello pugnantes, & alij ad duellum aliquo pacto per se conferentes, reservata sit Romano Pontifici?

Resp. Romano Pontifici reservatam esse à Clemente VIII. in bulla, quæ incipit: *Illius vices*, edita anno 1592. in qua sic loquitur: *Ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, excommunicamus & anathematizamus, maledicimus & execramur omnes & quoscunque, publicè vel privatim, palam vel occulte, in quibuscunque locis, modis, & formis singulare certamen, quod duellum vulgò dicitur, ex conducto ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem præstantes, equos, arma, & comitatus præbentes, &c. Cujus ... excommunicationis absolutionem ab alio, quam à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, pœnitentiâ & satisfactione congruè peracta, nisi in mortis articulo constanti, nequeant obtinere, &c.*

